

Johann Sigmund Pilgram


**Ioannis Sigismvndi Pilgramii Sacrorvm Apvd Sempronienses Qvondam Antistitis
Commentatio Theologica In Capvt IX Epistolae Pavli Ad Romanos**

lenae: mpensis Georg. Mich. Marggrafii, MDCCXXXVI.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86264450X>

Druck Freier  Zugang







411


a. B.
48. b. 8.


24


Fa-1092 (24.)














IOANNIS SIGISMVNDI PILGRAMII
SACRORVM APVD SEMPRONIENSES
QVONDAM ANTISTITIS

COMMENTATIO
THEOLOGICA

IN CAPVT IX
EPISTOLAE PAVLI AD ROMANOS
LATINITATE DONATA

A
IOANNE CHRISTOPHORO DECCARDO
GYMNASII SEMPRON. RECTORE.



I E N A E
IMPENSIS GEORG. MICH. MARGGRAFII.
A. M DCC XXXXVI.

12.
13.
12.6.
17.
11.
18.
19.
20.

JOHANNES SICHMUNDI DE
SACRAM. ET DE
DOM. A. 1544


COMM. EN. V. 110
THEOLOGICA

IN CAUSA
EPISCOPI PAULI AD ROMANOS

CAUSALIA DONATA

A
JOHANNES CHRISTOPHORO DECCARDO
GYMNASII RHEINON. RECTORI

IMPENSIS GEORG. MICH. MARGGRAVI
A. M. DCC. XXXVII



- 14.
- 13.
- 12.6.
- 17.
- 11.
- 18.
- 19.
- 20.



nter τὰ δυσνόητα, quae Petrus Apostolus, posterioris Epistolae cap. III, 16 in Epistolis Pauli occurrere affirmat, facile primo loco ponendum caput IX Epistolae ad Romanos, in cuius uerum, & genuinum sensum, cum tam diuersae sine interpretum, pro praedudicatis, quas mentibus comprehenderunt, opinionibus, sententiae, paulo accuratius inquirere, operae pretium erit. Haec autem instituendae ἀναλύσεως cutissima uidetur ratio, ut, abiectis omnibus praedudicatis opinionibus, certae regulae, seu Canones, constituentur, quorum ponderibus Exegesis capitis illius examinetur.

A 2

Ac

Ac priusquam ad rem accedamus, duo generalia momenta praecognoscenda sunt. Primum est, ueteres Christianos, qui, abiecta auita superstitione, Christianam religionem amplexi sunt, in primis Romanos, Stoicorum, de fatali necessitate, sententiam in orbem Christianum introduxisse: cuius patrocinium tantum abest, ut Paulus suscipiat, ut potius grauissime refellat, & coarguat, ut in analysi, & paraphrasi capitis uidebimus. Alterum momentum est obseruatio officii boni interpretis, quod est, accurate scopum loquentis considerare. Quis igitur in hoc IX, & sequentibus duobus Epistolae ad Romanos capitibus Pauli scopus sit, solite praecognoscendum est. Nimirum Apostolus Romanos, aliosque qui, a superstitioso fictorum deorum cultu conuersi, Christo nomen dederant, hortari instituit, ne propterea se insolentius efferrent, quod Deus ipsos populum suum elegerit, quem singularibus beneficiis ornaret: eum fieri facile possit, ut, nisi Euangelio dignam uitam instituerint, uicissim gratia excidant, & abiiciantur: qualem fortunam gens Iudaica experta esset. Hoc ut eo magis aduerterent, considerare eos iubet singularem Dei erga electam Iudaeorum gentem gratiam, quali nullam aliam in toto terrarum orbe complexus sit: perpendendas proponit singulares

Rom. XI.
7. 20. 21.
de.

lares Dei promissiones, huic genti de Messia, ex hac ipsa gente orituri, factas, quibus tamen nunc, postquam Messias aduenit, uix unus, aut alter ex hac gente fidem adhibeat: cum e contrario aliae gentes, quae antea de his promissionibus nihil audiuerant, magno numero ad Christum confluant, oracula Prophetarum de Christo, antea inaudita, plane intelligant, quae Iudaeis, uel millies repetita, & proposita, merae tamen maneant obscuritates, & aenigmata: summa admiratione dignum commemorat, Deum, qui omnia ab aeterno nouit & perspecta habeat; talem, de tot gentibus, elegisse, singularibus beneficiis ornandam, quam sciret oblata beneficia speret, nec Ecclesiam, ante Christi tempora, inter tales potius constituisse, qui Christum, exhibitum, prompte agnoscerent, quales erant Romani multique Graeci, qui doctrinam de Christo, siue Euangelium, cupide sunt amplexi, iisque adeo ex gentis Iudaicae lapsu salutem obtigisse, hoc est, Apostolos, Euangelii Christi praecones, cum uiderent, Iudaeos illud repellere, seque ipsos in-^{AA. XIII,} dignos uita aeterna decernere, ad gentes se conuertisse. ^{46.} De hoc iudicio Dei abscondito, & nullo rationis acumine inuestigando, cum nemo cogitare posset, quin admiratione afficiatur: hinc ipse tandem Apostolus, eius admiratione ob-

Rom. XI.
33.

stupefactus; exclamat, *ſ. Galat.* His generatim praemiffis iam ad ipfam Capituli explicationem accedamus, hac cautione, ut, antequam integrum caput paraphraftice exhibeamus expositum, tria priora Commata accuratius expendamus. De genuino fenfu Commatis 3, in quo Paulus optaffe fe, dicit, effe anathema a Chrifto, interpretes uehementer laborarunt. Nolumus afferre uarias uariorum illius Commatis explicationes, praeflare, exiftimantes, noftram diftinctius proponere, & confirmare. Primo igitur obferuamus, Paulum fuperiora tempora refpicere, qui non dicit, optare fe, fed optauiffe, anathema effe pro fratribus fuis. Meminit enim, fe fuiiffe acerrimum Chriftri & Chriftrianorum, hoftem, & perfecutorem, cui, pro Ecclefiae Iudaicae falute, & gloria tuenda, propositum fuerit omnia dura, & dira pati, immo ad perfpicuam mortem, ut pro aliena falute deuoti folent, fe iniicere, dummodo nomen Chriftrianorum delere poffet: hoc fibi maxime gloriofum duxiffe, hoc fe in uotis habuiffe, affirmat. Affirmat autem eo confilio, ut oftenderet, fe nequaquam animo uel leui, uel inimico, ea, quae in hoc, & fequentibus capitibus de Iudaeorum reiectione commemoret, proponere. Anquaduerit enim Paulus, poffe quendam Chriftri obrectatorem, & hoftem,

obii.

oblicere, ipsum, gentium Doctorem, & Apostolum, ea, quae in his capitibus de Iudaicae Ecclesiae interitu uaticinetur, uel ex inuidia, uel uindictae cupiditate, proferre, ad iniurias, quibus a Iudaeis esset affectus, aliqua ratione ulciscendas. Huius priuati affectus suspicionem ut a se di- Rom. IX. 4. 5. moueret, subiicit, quae ostendant, quam praeclare de populo Iudaico existimet. Affirmat enim, hunc populum utique fuisse Dei quoddam peculium, cui Deus, prae reliquis orbis terrarum populis omnibus, maximi momenti praerogatiuas concesserit, & singularia beneficia promiserit. Has autem promissiones diuinas negat ad solum populum Iudaicum, aliis plane exclusis, spectare, docetque unumquemque qui Abrahami, in Deum credentis, eiusque promissionibus fidem, animo nihil fluctuante, habentis, uestigia sequeretur, esse Abrahami filium, & spiritualem Israelitam, ad quem proinde illae Dei promissiones, Abrahamo factae, pertineant: & sicut nihil impediat, secundum carnem non ortum esse ex huius Patriarchae familia, quominus quis eius filius dici possit: ita quoque nihil quemquam inuare, nascendi forte ex Abrahami familia ortum habere. Ratio est, quod Deus illos, ab Abrahamo, secundum carnem, descendentes, si a fide, & moribus Abrahami de-
flectant,

14.

13.

12. 6.

11.

17.

18.

19.

20.

1

Rom. IX.
9.

ſpectant, non pro filiis Abrahami, multo minus pro ſuis; habeat: quod haud obſcure indicauit Apoſtolus, uerba Dei promittentis repetens, ex quibus manifeſtum eſt, non ſimpliciter omnibus, Abrahami ſatu ortis, ſed ſoli, ex Sara naſciture, factam eſſe promiſſionem. Hinc porro & illud colligitur, quod, cum Deus inter Iſaaci poſteros Eccleſiam ſuam conſtituere uoluerit, id ex mera gratia fecerit. Si uero quis exiſtimet, hoc iure quodam Iſaaco datum eſſe, ut in ipſius poſteritate, eſſet Eccleſia, qui ex legitima uxore, & libera, non ex ſerua, ſicut Iſmaël eſſet luſceptus, aliud exemplum aſſert Apoſtolus. nempe Iſaaci, & Rebeccae filiorum. Non temere hic quaerat aliquis; Annon poſteri fratrum, Eſaui, & Iacobi, in unum potuiſſent coaleſcere populum, ſicut poſtea duodecim fratrum poſteri unum populum Iſraëliticum conſtituerunt, in quo Eccleſia Dei conſeruata fuit? Verum enim uero placuit Deo poſteros Iacobi, non uero Eſaui, licet is eſſet primogenitus, in hoc honoris, & dignitatis gradu locare, ut eſſent, & dicerentur Dei populus. En uoluntatem liberam! en gratiam meram! Et ne quis ſuſpicietur, Deum reſpexiſſe Iacobi pietatem, & merito praeteriſſe Eſauum, ob animi ferocitatem, addit Paulus, quod Deus matri, infantem alio

conti.

continenti, cum nihil fecissent boni uel mali, dixerit: Rom: IX, ^{11, 12,}
 Maior seruiet minori. De hoc oraculo in primis monendum, illud non in ipsis Esau, & Iacobi personis fuisse impletum, sed in posteritate fratrum istorum: ex quo colligitur, Deum non elegisse Iacobum, ipsius bonis operibus motum. Nec ipse Iacobus quicquam sibi unquam sumpsit, ut, quasi pro iure suo, de Esauo statueret, sed ipsum potius ueritus est, & ab ipso sibi timuit: unde iterum conficitur, oraculi illius ueritatem in posteris demum Iacobi euentu suo confirmatum esse. De his uero satis constat, eos non optimae notae homines fuisse. Quis nescit illa, quae Ruben, Iuda, Simeon, & Leui, designarint? quam atrocia de populo Israelitico generatim historia sacra commemoret? Quis ergo affirmet, Deum hunc populum, propter bona ipsius opera elegisse? Et tamen uerum est, hunc populum a Deo in peculium electum esse, quod uel ex illo Dei oraculo, apud Malachiam, cer- ^{Cap. I,} ^{2, 3,}
 tum est, quo se Iacobum amare, Esauum uero odisse, ingratis Iacobi posteris, tantam gratiam non agnoscentibus, affirmat. In hoc oraculo duo praecipua momenta obseruanda sunt: primo, non de personis Iacobi, & Esau, sed de ipsorum posteris, sermonem esse, deinde non agi in

B illo

- 14.
- 13.
- 12. 6.
- 17.
- 11.
- 18.
- 19.
- 2.

illo de electione ad uitam aeternam, sed de beneficiis, ad commoditates huius uitae, ad facultates rerum, atque copias, pertinentibus, huic populo tributis, & de Ecclesiae nissibilis in hoc populo constitutione: quod ex momentorum totius capitis, inter se collatorum, obseruatione manifestum est. Hactenus genuinum Apostoli sensum esse expositum, nemo, nisi quem contradicendi libido stimulat, negabit. Iam, his praemissis, ad cetera, quae obscuriora uidentur, pergamus. De Commatis 14ti, & sequentium, sensu interpretum inter se discrepantes sunt opiniones. Patroni nimirum absoluti Decreti in illis suae opinionis praesidium inuenisse sibi persuadent: nostri Theologi, qui ex clarissimis Scripturae sacrae oraculis, Deum nolle interitum hominis, sed omnino uelle, ut quisque ad uitam aeternam perueniat, demonstrant, uerba Pauli alio, sed non uno eodemque modo explicant. Cum longum esset, uarias interpretum explicationes commemorare, nostram proponere malumus. Paulus obiectionem monet, non ex sua, sed aliorum mente, qui consilia Dei rationis suae ponderibus examinare non erubescunt, & quaerit: **Rom. IX, Num Deus sit iniustus?** Hic obseruandum monemus, **14.** omnem difficultatem, & obscuritatem, ex eo oriri, quod uocula,

uocula; Absit, habeatur pro responsione ad illam obiectionem.

Nos illam Parenthesi includendam statuimus, ob rationes post adducendas, ubi perspicuum uerborum Pauli sensum, qui Parentheseos beneficio inuestigatur, exposuerimus. Paulus dubium, & obiectionem mouet: An igitur Deus (quod absit) est iniustus? & addit rationem, cur Deus uideatur iniustus?

Dicit enim Mosi: Miserebor, cuius miserebor, & misericor- Rom. IX.
diam ei praestabo, cuius miserebor. Haec uerba hoc signifi- 15.
care uidentur, Deum liberrima uoluntate gratiam suam, cui Rom. IX,
uelit, sine omni respectu, impertiri. Verum caput Exodi 16.
XXXIII attente legenti, eiusque contextum, & scopum orationis Dei ad Mosem, expendenti, apparebit, non loqui Deum de absoluta sua, nullisque limitibus circumscripta, auctoritate, pro qua liberrime statuere possit, quicquid uelit, sed indicare rationem, cur locum det precibus Mosi, pro populo deprecantis, nempe quia Deus sit immensae, & infinitae misericordiae, qui non leuiter, aut semel iterumque, sed tota animi, propensaue uoluntate, & sacrissimae, hominis, aut populi, misereatur. Hinc illud colligendum, Paulum haec uerba allegare, non ex mente Dei, sed illorum obtrectatorum, qui, ad stabiliendam suam de absoluto Decreto opinionem, ad haec uerba, ipsorum,

B 2

si extra

14.
13.
12. 6.
17.
11.
18.
19.
20.

si extra contextum spectentur; praeiudicio fauentia, pro-
 uocant. Et quia Patroni absoluti Decreti illud non solum
 misericordiae, sed etiam irae, declaratione aestimandum
 esse docent, pergit Apostolus ostendere, quomodo ad ro-
 borandam suam opinionem aliud Scripturae sacrae oracu-
 lum adducant. In fonte hebraeo, Exodi IX, 16. hoc ora-
 culum Pharaoni propositum ita legimus, ut rationem consilii
 diuini cognosceret; minimeque sibi persuaderet, Deum
 non potuisse ipsum statim perdere, aut nesciuisse, ipsum
 futurum tam refractarium, sed sic plane existimaret, Deum
 suas habere rationes, cur hominem, toties rebellem, tole-
 ret. Sic enim in textu sacro legimus: Stare te feci; ut po-
 tentia mea eo magis inclarescat, & nomen meum glo-
 riosius mundo innotescat. Ex uulgatae uersionis uerbis:
 Excitavi te in hoc ipsum, ut in te ostendam uirtutem
 meam, nemo non intelligit, uirtutem Dei, in Pharaone
 ostendendam, esse exponendam de portentis, & mira-
 culis, Aegypto exitiosis. Horum patratorum ansam qui
 daret, non aequè alium futurum, quam Pharaonem,
 Deus, qui omnia futura contingentia perfecte nouit, &
 optima, ut fiant, decernit, praeuidisse existimandus est,
 qui adeo Pharaonem excitari, ut finem suum, nempe no-
 minis

minis sui glorificationem, obtineret. Nulla hic fit mentio irae diuinæ, quasi scopus Dei fuerit, manifestare iram suam, aut ideo excitauerit Pharaonem, ut haberet, in quem iram effunderet: sicut uerba Dei, a Mose adducta, ab absoluti Decreti patronis explicantur. Hoc dum falso supponunt, etiam perperam concludunt: Quis itaque resistere potest uoluntati Dei, qui miseretur, cuius uult, & indurat, quem uult? atque adeo, si qua culpa est, eam non in homine, sed in Deo, esse statuunt. Ad hanc obiectionem nunc demum Paulus respondere incipit, cuius sententiam sequentia declarant. Posito, sed non concesso, Deum ex absoluto Decreto ita cum hominibus agere, nihil tamen iniuste facere existimandus est. Quanta enim figuli in lutum, tanta, immo maior est Dei in hominem potestas, neque adeo quisquam Deo litem mouere potest propterea, quod sic, & non aliter, cum hoc, uel illo, agat. Nihil itaque lucri ex hac sententia accedit absoluti Decreti patronis. Si enim aliquis populus, aut quidam homo, ex absoluto Decreto diuino esset reprobatus, annon foret reprobatus, si culpam in Deum coniceret? Ille uero, qui fidem habet Deo, toties asseueranti, se non delectari interitu peccatoris, numquid propterea potest re-

14.

13.

12. 6.

17.

11.

18.

19.

2

1

reprobari? Ponamus igitur hoc Problema: Vtrum Deus agat ex absoluto decreto, pro liberrima sua uoluntate? an uero certo respectu hominum, quos praeuidit oblatam gratiam uel accepturos, uel repudiuros? Quaeritur, utra harum sententiarum sit tutior? Satis clare testificatus est Deus, se non pro lubitu, sine omni respectu, agere, quod uel ex Commate 22do apparet, in quo Deus uasa irae magna longanimitate tolerasse dicitur. Quaeris, quare tolerarit? fortasse spes de illorum conuersione ipsum fefellit? Absit, Deus, qui omnia ab aeterno, uno, simplici, perfectissimoque cognoscendi actu nouit. & perspecta habet, utique sciuit, uasa irae parata esse (non a se, sed a diabolo, & propria malitia) ad interitum, nihilo tamen minus illa tolerauit, ut patefaceret diuitias gloriae suae in uasa misericordiae, quae praeparauit ad gloriam: unde simul illud certo intelligi potest, Dei; qui tanta patientia tulit uasa irae, multo maiorem erga uasa gratiae, tanquam proprium opus, quod ipsemet ad gloriam parauit, esse patientiam, quam Theologi longanimitatem appellant. Quinam autem hac denominatione uasorum gratiae designentur, Paulus docet, eos nempe intelligendos esse, qui a Deo uocati sunt, non solum ex gente Iudaica, sed ex omnibus gentibus;

Rom. IX,
24.

14.

13.

12. 6.

11. 17.

18.

19.

20.

1

bus: eamque gentium uocationem dudum Hoseam, & Esaiam, praedixisse: quorum quidem oraculorum ueritatem nunc experientia confirmat. Videmus enim gentes, antea a ueri Dei cognitione, & cultu, alienas, de iustitia coram Deo plane nihil sollicitas illam nactas esse, illam ^{Rom. IX. 30. 31.} nimirum iustitiam, quae est ex fide: populum autem Israeliticum, qui legem iustitiae consecutus est, ad eam non peruenisse: quod nobis non potest non mirum uideri. Sed admirantibus statim occurrit Paulus, rationem exponens, cur Israel non inuenerit, quod quaesuit? Nempe quia non ex fide; sed ex operibus legis iustitiam acquirere uoluit, tanta quidem pertinacia, ut, quantumuis consilium Dei, in Verbo Euangelii expressum, rectamque & unicam ad iustitiam perueniendi uiam traditam haberet: eam tamen, pro prae fracta animi inductione, inire noluerit, & hac ratione non ex Dei quodam Decreto, sed propria pertinacis animi malitia, praerogatuas amiserit. En capitis explicationem, quae cum scopo Apostoli in omnibus consentit, & nulli uerbo uim infert, nec cum ullo Scripturae sacrae oraculo pugnat, Deumque extra omnem perditionis, in qua haereat Israel, culpam causamque ponit

Ne uero quis obiiciat, sic libitum fuisse nobis Comma 14^{um} ita explicare, ut uocula, Absit, inclusa Parenthesi,

ex

ex reliquo contextu uelut eliminaretur: rationes, cur hanc uocem in Parenthesi statuamus ponendam, subiiciamus

I.

Si ad propositam quaestionem: Num Deus sit iniustus? *T*o Absit, responsionis uim haberet, certe Comma sequens istum continere deberet rationem responsionis: quod colligi potest ex particula causali, *γὰρ*. Videamus autem, utrum aliqua concludendi uis inesse queat argumento Pauli, si commata, istum, 16, & 17 medium Terminum constituunt, ad probandum, quod Deus non sit iniustus. Argumentum in forma tale esset: Quicumque miseretur, cuius uult, & indurat, quem uult, is non est iniustus

Atqui Deus miseretur, cuius uult &c.

Ergo Deus est iniustus

Quis non uidet, Maiorem profecto probatione indigere, cum iniustus potius, quam iustus ille dicendus sit, qui sine respectu, & ratione agit, & coecum animi impetum pro norma suarum actionum habet

Minorem negamus ex rationibus, supra adductis, quae facile argumentum suppeditant

II. Non

II.

Non est uerosimile, Paulum, ad Testimonia Scripturae Vet. Testamenti prouocaturum, quorum uel centum sunt, quae, Deum iustum esse, clarissimis uerbis asserunt, ea adducere maluisse, quae, praesertim extra Contextum considerata, potius contrarium affirmant, in connexione uero cum antecedentibus nihil ad rem faciant: qualia sunt uerba Dei ad Mosē, in hoc capite, ex mente eorum, qui culpam causamque reprobationis multorum in Deum conferunt, recitata. In sua sede, & legitima connexionē considerata, plane non possunt intelligi de absoluta Dei in agendo libertate, sed ipsi potius gratiae erga eos, quos illa complecti dignatus est, sincerissimae integerrimaeque laudem uindicant. Deus enim, qui uni alteriue Mosi petitioni iam locum dederat, huius fidelissimi serui sui tertiae etiam petitioni, qua hunc quasi cumulum ad superiora singularis gratiae documenta impetrare uoluit, ut Deus ipsi gloriam suam maiestaticam conspiciendam concederet, ex ea parte annuit, quatenus id fieri posset, utque Moses hanc singularem, & superabundantem gratiam recte expenderet aestimaretque addit benignissimum Numen: Cuius enim misereor, eius miserebor, ipsique adeo gratiam suam, aliis

C identit:

14.
13.
12.
11.
17.
18.
19.
2

identidem, atque aliis documentis declarandam, commendat. Nulla igitur Consequentiae ratio in his uerbis apparet, quae confirmet, quod Deus non sit iniustus

III

Si uero $\tau\delta$ absit Parenthesi includatur, tum factae per Quaestionem obiectionis: Num Deus est iniustus? rationem, atque probationem exhibet Comma 15 cum sequentibus

Si enim Deus, nullo habito respectu, miseretur cuius uult, & libere indurat, quem uult, non potest non uideri iniuste agere, ita ut merito homines reprobati se extra culpam ponere, omnemque in Deum transferre possint, & quaerere: Quid nos accusat? quis potest eius uoluntati resistere

Consideret, qui a praeiudicatis opinionibus, & partium studio, alienus est, annon haec uerborum explicatio apte cohaereat, satisque plana sit, & perspicua

CONSECTARIA

I

Explicatio Textus sacri, quae cum scopo auctoris conuenit, & uerbis textus nullam uim affert, praeferenda est illi interpretationi, quae a scopo aberrat, uerbaque extra nexum cum antecedentibus spectata, in sensum diuersum,

10.

uersum, & a toto contextu alienum, detorquet. Iam uero
 nostra explicatio talis est, cum scopo Pauli conueniens,
 uerbis nullam alienam significationem affingens, nulla ui
 detorquens. Igitur praeferenda erit interpretationi, ab ab-
 soluti Decreti patronis tradita, quippe quae a scopo Apo-
 stoli est alienissima, & uerba Scripturae, extra contextum
 suum considerata, in sensum, ab instituto, & scopo di-
 centis plane diuersum, detorquet

II

Explicatio Textus sacri, quae cum aliis Scripturae sa-
 crae oraculis perspicuis congruit, praeferenda est illi inter-
 pretationi, quae cum aliis Scripturae oraculis conciliari
 nequit, nisi plane, & perspicue dictis sensus affingatur plane
 contortus. Cum igitur ab absoluti Decreti patronis nullum
 proferri possit Scripturae sacrae oraculum, cum quo ex-
 plicatio nostra pugnet, ipsorum uero interpretatio, si ad-
 mittenda sit, conciliari nequeat cum perspicuis Scripturae
 sacrae oraculis, quae docent, Deum omnes homines sal-
 uos uelle, Deum nolle, ut ullus pereat, quin seruo uelle, ut
 quisque conuertatur, et uiuat: nisi clarissima horum ora-
 culorum uerba in alium sensum, quem, in suo contextu, &

14.
 13.
 12. 6.
 11. 17.
 18.
 19.
 2

natura significatione, non habent, detorqueantur: consequitur, nostram explicationem tali uiolentae interpretationi esse praefendam

III

Inter duas explicationes alicuius Textus sacri illa merito locum obtinet, quae maxime facit ad gloriam Dei afferendam, & tuendam. Nostra explicatio ita tuetur gloriam bonitatis, & misericordiae Dei, ut culpam damnationis, & aeterni multorum interitus, Deum liberet, eamque ipsos homines, pereuntes, sustinere doceat. Illa uero explicatio, quae ab absoluto Decreti Patronis affertur, culpam interitus multorum hominum in Deum transfert. Iudice iam lector, cuius animus a partium studio, & praeiudicatis opinionibus uacuus est, utra istarum explicationum gloriae Dei uindicandae tuendaeque sit accommodatior

IV.

Inter duas diuersas sententias illam quis tutius sequitur, quae animum peccatoris anxium, & sollicitum, maxime erigit, ab omnique sollicitudine abstrahit. Vtra uero sententia, num illa de uniuersali Dei gratia, quam nos tuemur, pro qua Deum omnium hominum salutem serio uelle doce-

10.

docemus; an altera, pro absoluto Dei Decreto propugnantium, quae peccatorem, quem cogitatio de abscondita Dei uoluntate perturbat, dubium, & incertum relinquit, ut statuere nequeat, quid tandem Deus de ipsius aeterna uel beatitate, uel infelicitate, constituerit, tali cogitatione suspensum, ac sollicitum peccatorem suauius recreatum erigat? coecus fit, oportet, qui non uideat. Iterum igitur consequitur, eam explicationem Textus alicuius sacri, quae sententiam, solatii plenam, confirmat, praferendam esse alteri, quae hominem, de aeterna sua salute dubitantem, & ancipiti cogitatione distractum, incertum relinquit, immo ad desperationem adigit.

V

Doctrina, cuius ratio ita comparata est, ut suadeat uitae morumque sanctitatem, atque adeo ad exercitium bonorum operum inuitet, illi doctrinae anteponenda est, quae hominem, praesertim ad uicia procliuem, in eam adducere potest opinionem, ut existimet, se nihil damni facere, aut sibi fraudi non esse, peccandi licentiam, nec Spiritum sanctum amitti, quamuis sibi liberius indulgeat, & libidini suae deseruiat, si ex absoluto Dei Decreto in numerum Electorum sit adscriptus: sin minus, nihil ad salutem, ad quam

14.
13.
12.
11.
17.
18.
19.
20.

electus non sit, prodesse studium bonorum operum. Hinc iterum colligitur, interpretationem alicuius Textus sacri quae hominibus virtutis, sanctitatis, & bonorum operum magnum incitamentum est, opinioni de absoluto Decreto omnino esse praefendam

VI

Tandem illud notamus, illos absoluti Decreti propugnatores nullum sacrae Scripturae Dictum proferre posse, quod expressis, & dilucidis uerbis hanc illorum sententiam asserat, ipsosque adeo eius fundamentum non aequè aliud, ac caput hoc Epistolae ad Romanos IXnum firmitus existimare: nostram uero doctrinam de uniuersali Dei gratia in omnibus fere codicis sacri paginis esse fundatam

Iam non immerito quaeritur de boni interpretis officio, utrum ille suo officio satisfaciat, qui uel sexcenta Scripturae sacrae oracula, sua luce radiantia, ad unum aliquod, obscurius expressum, accommodat, uel uerius detorquet, atque adeo clare dicta ex obscure dictis explicat: an potius ille, qui obscurioris Dicti conuenientiam cum clarioribus ostendit, & Regularum hermeneuticarum apta applicatione demonstrat, suam interpretationem a natiua uerborum

10.

14.

§§ (o) §§

23

borum significatione, ne latum quidem unguem, recedere, cum scopo loquentis convenire, aptissimaque antecedentium, & consequentium connexionem cohaerere? Hoc si quis interpretasse potest, unum alterumue uocabulum, immo integra Cola, & Enunciata, Parenthesi includendo: quid haesitandum ob constituendam Parenthesin

13.

16.

17.

11.

Habes, Lector beneuole, expositam rationem, qua inducti statuamus, rō Absit, in Commate 14to Capitis IX Epistolae Pauli ad Romanos, per Parenthesin esse dictum

18.

19.


20.




1

Index.

- 1) Jo. Jac. Michaelis Curæ in Versionem Syriacam Actuum Apostolorum.
- 2) Jo. An. Inman Walchii Dissertationes in Acta Apostolorum.
 - a. de Mense Apostolorum Katholis r^oq^o diaconias Act. I. 17. 25.
 - b. de Apostolorum sacris Convencijs. Act. II. 1.
 - c. de Claudio Petro sancto Mat. Natura & Indole s^o Access. Act. II. 13.
 - d. de Claudio a Petro sanato. Act. III. 1.
 - e. de Magog Act. Apostolorum idiotarum. Act. IV. 13.
 - f. de Sepultura Ananias & Sapphira. Act. V. 6. 10.
 - g. de Religio veterum deuotio Act. Act. VII. 33.
- 3) Jo. Herm. Haarmjen (P. P. H. Kocheri) de Unica salutis per Christum via ex Act. IV. 12. declarata.
- 4) Christ. Gottl. Haubertii Commentatio pro Petri sententiæ de Duplice Abrahami Exitu, ad Act. VII. 1. pp.
- 5) Nic. Guil. Schröderus de Tabernaculo Balaam & Stella Dei Remphan ad Act. VII. 43.
- 6) Jo. Frid. Cotta de Redemtionis Ecclesiæ proprio Dei sanguine facta ad Act. XX. 28. Diss. prior
Diss. altera.
- 7) _____
- 8) Christ. Guil. Franc. Walchius de Felice Indæ Procuratore.
- 9) Benj. Bielerus a. de Spiritu Sanctificationis Rom. 1. 4.
 b. de Sapientia Salvatoris ad Gal. II. 13.
- 10) Jo. Sigism. Helgramus in Cap. IX. Ep. ad Rom.
- 11) Christoph. Gottl. Stüdemanni (P. P. F. A. Spini) Apologia pro Lutheri versione dicti Rom. X. 17.
- 12) Frid. Wexnerus de Vana spe insignis tunc conversionis simultanea ante Diem extremum adhuc expectanda vija Act. Rom. (XI. 25. 26. 27)
- 13) Jo. Jac. Hecking de Operibus tenebrarum & armis lucis ad Rom. XIII. 12. Copul primam Rej. dicti angelorum et Sancti Martyrum
- 14) Alexand. Gottl. Baumgarten Disquisitio an Philosophia sit sapientia mundi.
- 15) Joh. Gudof. Hegelmaier (P. P. F. Cotta) de Sanctis mundum & angelos judicaturis ad 1. Cor. VI. 2. 3.
- 16) Christ. Frid. Boernerus de Propheta 1. Cor. XII. 10. & c.
- 17) Jo. Anon. Letze (P. P. J. Baumgarten) de Acquirendis donis optimis ad 1. Cor. XII. 31. coll. XIV. 1.
- 18) Hent. Aug. Schumacher (P. P. H. Klausing) de Equivoca origo duodecim ad 1. Cor. XIV. parte prior, imp. com. 26.
- 19) Joh. Bloch de Ministerio litera & Spiritus.
- 20) Jo. Anon. Schaffars (P. P. J. G. Walchii) de Tristitia poenitentium Divina II. Cor. VII. 9. 10.
- 21) Jo. Andr. Fabricius de Heautometria ex II. Cor. X. 12. 13.
- 22) Georg. Lud. Oederus de Raptu non Pauli Apostoli sed alterius cujusdam in Paradisum & Palo carni dato ad II. Cor. XII. 1-9.
 + _____ de Audis Christi Literariis.







22

electus non
iterum co
quae homi
magnum in
omnino es

Tan
pugnatores
quod expr
asserat, ip
caput hoc
nostram u
bus fere co

Iam
cio, utrum
Scripturae
quod, obse
quet, atque
potius ille
rioribus of
plicatione

BS (O) SE

se studium bonorum operum. Hinc
interpretationem alicuius Textus sacri
is, sanctitatis, & bonorum operum
est, opinioni de absoluto Decreto
adam

VI

notamus, illos absoluti Decreti pro
ae Scripturae Dictum proferre posse,
acidis uerbis hanc illorum sententiam
eius fundamentum non aequè aliud, ac
Romanos IXnum firmiter existimare:
m de uniuersali Dei gratia in omni
uginis esse fundatam

o quaeritur de boni interpretis offi
officio satisfaciatur, qui uel sexcenta
la, sua luce radiantia, ad unum ali
sum, accommodat, uel uerius detor
dicta ex obscure dictis explicat: an
rioris Dicti conuenientiam cum cla
regularum hermeneuticarum apta ap
suam interpretationem a natua uer
borum

